

## CONSIDERATIO VII.

### *De Potentia DEI.*

Hæc 1. mirabilis in magnis. 2. mirabilior in minimis. 3. Summe mirabilis in se ipsa.

P. 1. *Hæc mirabilis in magnis.* Si ingentes cælorum orbes, spatiaque illa in infinitum diffusa, innumerabilibus fulgurantibus stellis, sole ac luna velut totidem gemmis aut oculis animata, si latissime circumscriptum terræ globum, in medio aeris, circumquaque illum ambientis, pendulum, si maris vastissimos sinus, tamque hanc cæli terræque machinam perpendis, quanta potentia prædictus sit necesse est, qui opus tanquam grande sua dextra formavit, illudque tanta soliditate firmavit ac stabilivit, ut licet jam 6. circiter annorum millia a prima ejus creatione effluxerint, constet tamen, ac primæ in statu perduret, quin unquam consumescat, suaque mole fatiscat. Si materiam ad hæc formanda requisitam, si artem eam commiscendi ac connectendi, rebusque singularijs justam mensuram, proportionem, formam, in seolem, naturam, virtutem tribu-

endi, cuidam creaturæ dedisset Deus; quot  
sæculorum millionibus opus habuisset, ad  
omnia ista, quæ in cælo terraque conspici-  
mus, tam vasta, tamque varia effingenda,  
justum in ordinem redigenda, structuramque  
tam admirabilem, solidam, ac immentam  
absolvendam? Quot olim homines occupa-  
bantur in unica turri Babylonica, quot in  
uno Salomonis templo exstremo? Cum pro  
tolis lignis cedrinis & abiegnis succidendis  
millia decem, pro oneribus portandis septua-  
ginta hominum millia, pro exscindendis &  
aptandis lapidibus latomorum millia omnino  
octoginta quotidie præter alias plurimos  
operum inspectores eum in finem adhiberen-  
tur; 3. Reg. 5. Quanta non raro multitudo ar-  
tificum & operariorum plurimis annis desu-  
dat in structura vel unius Regii palatii absel-  
venda: sed quid tantilla moles, vel unico cæ-  
lesti corpori, ne dicam toti cælo, terraque  
comparatae? Quanta igitur quamque mira-  
bilis potentia, quæ mundum universum (opus  
tam vastum, tamq; innumerabili rerum diver-  
tissimatum varietate abundans) in momento,  
sine ullo labore, unico verbo, imo nutu vo-  
luntatis, & quidem ex puro nihilo produxit,  
vocans ea que non sunt, tanquam ea qua-  
sunt?

funt? ad Rom. 4. Nonne stupenda omnino vox illa, ad cuius solius imperium tam prodigiosæ magnitudinis machina, nunquam alias visa, ex nihilo suo emergit, & intra temporis momentum, numeris omnibus absoluta consistit; non aliter, ac si singula summa & exquisita industria, pertinaci & diuturno labore, insuper maximo artificio & præmeditato dia consilio, elaborata fuissent? Consule architectos omnes hujus mundi; quis omnium ponere potuisset vel sola fundamenta tam suspendæ molis, quis dimetiri ejus altitudinem ac profunditatem, quis tendere super eam lineam, aut demittere lapidem angularem ejus? Job. 38. Quis proinde non adoret tam admirandam potentiam? quis se non prostrat sub manu hac omnipotente? Nonne stupiditas summa tantæ potentiae constanter subesse, nec eidem humiliter se subjicere? Quis non cedat fortiori, nec velit sibi amicum, quem novit viribus infinite superiorum? At nonne tu Deus semper super me extendis brachium illud omnipotens, quo me in momenta singula conterere potes? Quis autem ego sum, pulvis & cinis, ut me illi subtrahere, aut tantæ virtuti resistere valeam? Si timeo potentes hujus mundi, quibus aliquid juris concele-

sisti in corpus & fortunas meas; non timeam te Regem sacerdorum, cuius potentia se extendit in omne id, quod sum, in omne, quod habeo, quod valeo, quod sperare aut timere debeo per omnem æternitatem: qui-que non solum corpus, sed & animam meam quovis puncto temporis perdere potes in ge-hennam? Ah discam verei tantum domi-num, discam humiliare in conspectu ejus animam meam! &c.

P. 2. *Mirabilior in minimis.* Si divina po-tentia magna tibi videtur in magnis, major & admirabilior tibi merito video debet in minimis. Quæ magna sunt, rapiunt passim animum tuum & affectum; eo quod oculos tuos sua magnitudine & splendore perstrin-gant. At cum in ea, quæ in minimis latent, prodigia & abscondita divinæ potentiae mi-racula, parum aut nunquam intendas ani-mum; quid mirum, quod potius ex magnis, quam minutis illis, Dei magnitudinem & ex-cellentiam potentiae ejus metaris? Uti autem in artefactis mole minima plerumque ceteris palmarum præcipiunt. (exempli causa Ilias. Homeri nuci inclusa) autemque & artificem maxime commendant: ita omnipotentia di-vina præ omnibus commendabilis & stu-pe-ficiens.

da videtur in minutissimis creaturis suis,  
oculos nostros tantum non effugentibus. In-  
spice vel solam formicam, animal gracilis  
ac perexigui corporis; quid mirabilius, qui in  
in tam angusto corpore cernere ea omnia,  
quæ cernis in elephante, oculos scilicet (etsi  
acumen acus non excedant) perspicacissimos;  
aures ad minimum sonum, motumque exca-  
tas & excitatas; tactum subtilissimum; lin-  
guam, dentes, guttur, rostrum, cor, je-  
cur, pulmones, stomachum, viscera, cete-  
rasque partes corporis & organa, omni ex  
parte perfecta; proportionem insuper sum-  
mam membrorum; agilitatem corporis in-  
credibilem; ipsa usque adeo anima, quibus se  
contra hostes suos creatur ac defendat. Vere  
admirabilis potentia, quæ tam diversa, tam-  
que subtilia minimo in corpusculo collegit,  
suis locis tam apte disposita, ut nulla pars al-  
teram impedit ad functiones suas peragen-  
das; quæque loco tam angusto ea omnia con-  
clusit, quæ amplio in corpore inveniuntur;  
venulasque subtilissimas per totum corpuscu-  
lum artificio plane divino diffudit; in qui-  
bus novo miraculo uti aquæ in mari, sanguis  
semper fluat ac refluat; quodque amplius est,  
animalculo tam parvo providentiam quan-

dam indidit futurorum quasi prælagam , ac  
secuturis necessitatibus prospicientem : cum  
tota æstate maxima sedulitate colligat , &  
in caveas subterraneas recondat , quod ar-  
cendæ fami , & conservandæ per hiemem vi-  
tae sufficit . Ut vel ipse sapiens , Prov. 6. non  
dubitaret hominem , et ratione præditum ,  
ad formicam ablegare , ut ab ea discat sapere ,  
rebusque suis in futurum prospicere . An mi-  
nor relucet Dei tum sapientia , tum potentia  
( ut cetera præteream animalcula ) minutissi-  
ma etiam in aranea : quæ cuni artem filum  
ducendi , texendi , consuendi nunquam di-  
dicerit , netricis tamen & textoris , imo &  
venatoris officia ex asse implet , propriis ex  
visceribus filum subtilissimum deducens ;  
illudque mirabili artificio reticuli ad instar  
quo aves & pisces capiuntur , contexens ;  
glutine quodam e visceribus deprompto  
connectens ac consuens ; ac inter pendulos  
hinc inde arborum ramusculos ad insidias ca-  
piendis muscis extendens ; non aliter ac si ar-  
tem venatoria , aut pectorioriam ex professo  
didicisset : tota dein die , nocteque summo  
silentio in reticuli centro excubans , prædæ-  
que inhians , in quam denique vix captam ,  
rapidissimo cursu ferrat , & ne fors evadat ,  
eum

eam reticulo suo quamprimum involvit; idque tanta dexteritate ac celeritate, ut musca eodem prope momento, quo se captam deprehendit, simul experiatur se undequaque constrictam, ac involutam, ut nec elabi, nec se movere, minus defendere possit. Quis amabo Deus meus! animalculo tam minuto indidit naturam tam capacem ac sagacem. tam industriam, simulque subdolam; nisi omnipotens virtus tua, non minus incomprehensibilis in minimis, quam in magnis admiranda? Sed O cæcitas cordis mei! nihil mirum aut magnum ab humano ingenio inventum, in oculos meos incurrit; quin illud prædicem ac æstimem, simulque copiose excutram in laudes primi inventoris: cuin tamen artifices omnes non nisi mortuam quadam imaginem operum tuorum omni arte sua, qua imitari conantur naturam, effingere possint: quin naturales illis proprietates, sensus ac vitam date queant, sola forma quadam & figura exteriore contenti; quo i omnis eorum ars & industria ultra progredi non possit. Et tu mi Deus! tam plena & perfecta, tam varia ac multiplicia, tam pulchra & ingeniosa, tam prodigiosa & stupenda etiam in minimis creaturis tuis mihi exhibes;

eaque omnia in tanta perfectione, ut ne unum quidem eorum omnis Angelica sapientia & potentia tota æternitate producere posset ; & tamen heu dolor ! vilescent mihi quodammodo ista omnia ipsa affuerudine videnti, ut ne mentem quidem elevem in potentiam illam tam mirabilium operum effectricem ! Ah quando tandem aperientur oculi mentis meæ, ut dum oculis corporis tam manifesta cerno omnipotentia tua vestigia, vel inde discam agnoscere & adorare magnitudinem tuam , & sublimitatem perfectionis tuae ! &c.

P. 3. *Summe mirabilis in se ipsa.* At quanto major mihi videtur omnipotentia tua Deus meus ! si eam in semetipsa contempler : non tam attendens ad illius effectus, ceu rivulos quosdam ex eadem promanantes, quam ad fontem ipsum, ex quo profundunt ! Quæcumque enim video omnipotentia tua prodigia, non tam manifestum faciunt, quid possis, quam quid feceris : cum omnia opera maximum tuarum infinite excedat potentia tua, in iis quæ operatus es, solum finita, in semetipsa autem infinita. Quam prodigiosa illa ? cum ex parte tua mensuram aliam non habeat, quam ipsam voluntatem tuam . ut

quæ

quantum hæc vult, tantum illa possit? *Quod-*  
*tunque voluit, hoc fecit.* Job. 23. nec aliam  
ex parte rerum possibilium, quam ipsum ni-  
hilum; cuius immensæ latitudini coæquatur.  
Quam admirabilis? Cum omnia possit ex se-  
metipsa, suaque virtute propria; quin indi-  
geas aliquo exemplari, cui conformes opus,  
quod meditaris? eo quod infinita, qua polles,  
sapientia sit idea perfectissima omnium possi-  
bilium; nec egeas materia præexistente, in  
quam rerum diversissimarum formas indu-  
cas; cum & materiam & formam, essentiam  
& naturam, proprietates & qualitates rerum  
omnium in virtute tua contineas: nec con-  
silio aut opera cuiusquam adjutrice; quod tua  
tibi sis sufficientia ad faciendum, quidquid  
facere tibi placuerit. Cumque æque late pa-  
teat tua potentia, quam sapientia; ita ut fieri  
non possit, ut hæc aliquid concipiatur possibile,  
quod ab omnipotentiâ tua produci non pos-  
sit, quam hæc in immensum te extendat ne-  
cessere est, ut pote par & æqualis sapientiae in  
investigando infinita? Nil proinde magne  
Deus! immensitatem potentie tuæ exhaustire  
potest. Creando mundum hunc aspectabi-  
lem, innumerabilia continentem arcana, quæ  
latent intellectum, & abscondita sunt ab ocu-

lis nostris , ostendisti quidem nobis linea-  
menta quædam amplissimæ virtutis ac poten-  
tiæ tuæ ; & quot condere potuisses , eo multo  
perfectiores , quin tamen virtus illa fœcun-  
dissima imminuta unquam fuisset , semper  
eadem , semper sibi æqualis , semper infini-  
ta ? Nec minor sane potentia tua in destruen-  
do , quod fecisti , quam illud producendo ;  
cum eadem facilitate mundum universum in  
nihilum redigere posses , qua eundem ex nihilo  
eduxisti ; & que etiam facile tibi sit contra na-  
turam , vel eidem confirmiter agere , igni re-  
linquere virtutem naturalem urendi , aut  
( uti in fornace Babylonica contigit ) eum  
convertere in ventum roris flantem ; ex lapi-  
dibus suscitare filios Abrahæ , aut hos con-  
vertere in lapides , vel ( ut ex ore Lothi ) in  
statuas salis . Unde quæ in sacris literis mira  
legimus de virga Moysis in colubrum versa-  
ac fluminibus conversis in sanguinem , aliaque  
plurima , nobis quidem prodigia , tuæ au-  
tem divinæ potentiae non nisi ludus ac nihil-  
lum sunt ; quod nutum & imperium tuum  
creata omnia ac creabilia vereri cogantur ,  
nihilque resistere possit tuæ omnipotenti vo-  
luntati . O quanto mihi solatio esse debet ,  
quod Deum habeam tam potentem , cui non

minus aut magis difficile sanare, quam vulnerare; vivificare, quam mortificare; ad inferos deducere, quam reducere! Ah cum omnia possibilia tibi sint Deus meus! impende obsecro omnipotentiam tuam saluti meæ, quam ob animum ingratum, & peccata mea impendere posses in meum interitum! Ut enim claves vitæ & moris meæ in manibustuis sunt, ita & cor meum. Scio equidem, quod durum sit & refractarium; ut proinde difficulter fleatur ad obediendum divinis mandatis tuis: attu Deus, cuius velle posse est, immuta illud, obsecro, gratia tua, ut promptum paratumque sit at omnem nütum Divinæ voluntatis tuiæ, nec minus fideliter obediat tibi, quam cæteræ omnes res creatæ, ne ratione quidem utentes, & tamen paratissimæ semper ad audiendam vocem tuam. Si aliter ex nolim, compelle obsecro etiam invitum, uesti c habeas obsequente m sanctissimæ voluntatituae! O quam felix ero, si quacunque demum ratione extorseris a me, quod placitum est coram te! Nunquam enim aberrare potest ab unico & vero scopo, qui tecum in veritate ambulat, nunquam te sibi habere adversum, cuius voluntas cum tua divina conspirat; sed neque ei quidquam deesse un-

quam poterit, cui omnipotens virtus tua as-  
sistit, &c.

---

## CONSIDERATIO VIII.

### *De Providentia DEI.*

Hæc disponit omnia 1. Prudentissi-  
me. 2. Suavissime. 3. Justissime.

P. I. *Hæc disponit omnia prudentissime.* Si  
negotium aliquod tibi conficiendum  
foret, cuius initium, progressus, ac circum-  
stantias omnes ita perspectas haberet, ut rei  
veritatem indubitate agnosceres; certus præ-  
terea fores te nullo partium studio teneri,  
sed sincerissimo affectu complecti eos, ad  
quos negotium spectat; certus denique fores-  
te a justitiae tramite ne latum unguem velle  
deflectere; sed ex juris & æquitatis præ-  
scriptio sententiam pronunciaturum, ac re-  
ipsa pronunciare; ambiguresne de sententia  
juste proleta? Qua ergo ratione dubitare lice-  
bit rerum eyentus a divina providentia pru-  
dentissime, suavissime, ac justissime disponi-  
aut permitti, cum sapientia Divina provi-  
dentiæ in dirigendo hoc universo veluti fa-  
cem präferens, falli nequeat in rebus cog-  
nosendis? nec bonitas divina deficere pos-  
sunt.